

antemeridianas insequentibus longius sese exporrigente, conjuncta; antecedente verò Januario, tertio post Novilunium die, pluviae coeperunt à 13. ad 16. usque inclusivè continuæ, ante & post hoc tempus etiam regnante tempore notabili, frustra licet indies augescente Lunari lumine. Sic anno sequenti 1671, novâ Lunâ ipsum novum annum exordiente, à primo die Jan. ad sextum usque exclusivè cum Lunæ lumine crescebat fere indies, & valdè notabile (sereno præsertim aëre, qualis erat primo sextoq; die) sentiebatur frigus; Septimo verò regelatio insecuta est, cum intermisto rore pluvio; octavo rursus plus frigoris & inde glaciales viæ; nono, post nocturnas nives, pluviae satis copiosæ, ac decimo ulteriorum minæ; undecimo cœlum purgatius aërq; verè vernus; postea nubila & rursus pluviae usque ad plenilunium. Insequenti porrò Febr. cum Luna crescente serenitas & frigus satis notabile sentiebatur primis diebus (Vento interim ab ortu flante) sed ipso die tertio, nondum dichotomâ Lunâ, per insequentibus dies remissio, & octavo cœli amœna facies cum regelatione; deinceps paulum nivis & mox undecimo die (ante plenilunium tertio) pluviae copiosissimæ; postero duodecimo iterum frigus cum Vento Septentrionali. Sic anno 1672. Januarius mensis pro hypothese Lunarum luminis infrigidantis stabat, insequente Februario omnia alia iterum docente &c. &c.

CAP. III.

Hypotheses præcipuas tum generaliores tum specialiores, pro causis tempestatum & mutationum in aëre contingentium deducendis excogitatas, complectens.

I. **C**ommunis quædam est ac orbe fere toto ubique recepta opinio, mutationes aëris non annuas tantum, sed menstruas quoque & quotidianas, originem suam cœlestium influentiis debere. Quemadmodum enim in his nostris sphaeris anniversariam istam Veris, æstatis, autumnii, hyemisque successionem, à motu Solis per Eclipticam obliquo, qui nunc propius hunc admovet verticem nostro, nunc paulatim ab illo iterum removet, pendere nimis palpabile est ac in propatulo; sic diversitatem illarum tempestatum in ipsa constantis licet successionis serie singulis annis obviam ac notabiliter variabilem, nec eidem illi Solis cursui, qui quotan-

nis